

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

IV. *Tanquam signa necessaria pœnitentia.* Sicut enim Christus in institutione hujus cœnæ pane azymo sive infermentato usus est, ut & nos Hostiis hodiè infermentatis utimur: Sic idem instruit nos, ut puro corde ad sacram cœnam accedere, & fermentum vetus expurgare debeamus, ut simus nova conspersio, sicut fumus azymus. Etenim pascha nostrum, pro nobis immolatus est Christus &c. 1. Cor. 5. v. 7.

V. *Tanquam symbola cœlestis munificentia.* Licet enim hîc nihil, nisi naturalis panis, & naturale vinum oculis videatur, & linguâ gustetur: attamen visibilia hæc elementa, per consecrationem Sacerdotis, vi verborum institutionis Christi, à communi usu separantur, ut sint ὀχήματα, salutaria media, quibus Christus corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum, nobis exhibere promisit.

Sicut igitur in admirationem rapiebantur Israëlitarum, cum primum Manna viderent, ut dicerent: Manhu, sive, quid illud est? Sic & nos admiremur saluti feram hanc Domini nostri Jesu Christi institutionem, quod nobis in sacrâ cœnâ panem ostendit, & cum eo corpus suum ad edendum, vinumque ostendit, & cum eo sanguinem suum bibendum exhibet. Quod omnia miracula longè superat. Magna sunt opera Domini, investigata in omne beneplacitum eorum. Psalm. 111. v. 2.

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, materiam invisibilem & cœlestem contemplaturi. Quod est verum corpus, & verus sanguis, Domini nostri Jesu Christi. Idem illud corpus, quod pro nobis in mortem crucis tradidit, & idem ille sanguis,

quem pro nobis in arâ crucis effudit. Ita enim habent, verba institutionis: Accipite & bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.

Hic verum habemus legatum, quod nobis Christus, tanquam cœlestis testator, in sacrâ cœnâ instituit, & legati nomine relinquit. Sed à multis sinistrè exponitur, & intelligitur.

I. Nonnulli enim hîc peccant *in excessu*, ut Pontificii, qui existimant, post consecrationem illico panem & vinum in corpus & sanguinem Domini transmutari, ad modum uxoris Lothi, in statuum salis transformata, Gen. 19. v. 26. & aquæ, in nuptiis Cananæ in vinum versa. Joh. 2. v. 8.

Hoc figmentum, nullo sacræ scripturæ, præsertim verborum Institutionis, fundamento nititur. Filius Dei æternus, semel verum humanum corpus, ex Mariâ virgine adsumsit, hoc retinet in æternum, & valdè absurdum est, quod Adversarii nostri, quotidie vi verborum consecrationis, virtute magicâ, quam verbis institutionis recitatis affingunt, novum ipsi corpus ex pane formare volunt: sicuti ex eodem hoc fundamento, Sacrifici in libro, *Stella Clericorum* inscripto, *Creatores creatoris* appellantur. Quinimò, licet alias Mariam virginem plus æquo extollant, scribere tamen minus verentur, quod Sacrificola, respectu Missæ ipsi præferendus sit, quandoquidem Maria Christum semel tantum pepererit, hic verò, quoties Missam celebret, Christum creare & producere possit.

Nos verbis institutionis inhæremus, in quibus *transsubstantionis*, ut ipsi loqui amant, nullo apice mentio injicitur. **Chri-**

stus enim non simpliciter dicit, est corpus meum: sed in neutro genere, *ἵερο*, quod nimirum cum pane exhibeo, hoc est corpus meum, vel ut hic loquendi modus maxime familiaris est, quando duæ res simul porriguntur, ut alterutrum saltem, quod videtur, exprimamus. e. g. si centum taleros cum crumenâ alicui exhibiturus sum, dicere soleo: Accipe, hoc sunt centum Imperiales. Similiter si cantharum vini alicui porrigo, sic loquor: Accipe hoc est vinum. Exempla in sacris sunt, Exod. 2 v. 6. Matth. c. 3. v. 16. Joh. 20. v. 22. Act. 2. v. 3. Ad eundem modum hæc Christi verba à Paulo explicantur: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est, & Calix benedictionis, nonne communicatio sanguinis Christi est? 1. Cor. 10. v. 16.

In primitivâ Ecclesiâ hoc monstrum planè incognitum fuit, sed ut Balæus recenset, à Moniali quadam, quam Pontifex Urbanus IV. in delitiis habuit, ortum, huic quia in somnis visum fuit, panem in corpus Christi transmutari, in gratiam ejusdem articulum fidei esse voluit, qui postea, Anno 1215. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & tandem in Concilio Tridentino confirmatus est.

Ex hoc fundamento nunc corrui,

1. *Missificatio*, quam incruentum sacrificium, vivis & mortuis utile fingunt; Sed in verbis institutionis de eo ne gry quidem apparet. Non enim dicit Christus, sacrificate, sed edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus, hoc facite in mei commemorationem, intellige, unius illius sacrificii, quod in arâ Crucis ceu verus Nov. Testam. summus Pontifex præstiti, æternâ redemptione inventâ, Hebr. 9. v. 12.

Quod si verò Sacrificium Missæ, cultus Deo adeò gratus esset, uti Pontifici opinatur, non dubium est, quin id Christus cum omnibus Circumstantiis & Ceremoniis expresserit: ipso præsertim asseverante, se omnia, quæcunque à patre suo audivit, nota fecisse discipulis. Joh. 15. v. 15.

Nec ullo fundamento ex Patribus & historiâ Ecclesiasticâ probari potest, Missam sive ab Apostolis, sive eorum Successoribus in prioribus quinque Seculis ita esse celebratam, ut nunc illa administratur. Sed oratione duntaxat Dominicâ consecrationem perfecerunt, & populum, corpore & sanguine Domini, sub pane & vino benedictis, refocillarunt.

Propterea nos Missam illam Papistam explodimus, & retinemus unicum illud sacrificium expiatorium, quod Christus in arâ Crucis præstitit, de quo Paulus agit Eph. c. 5. v. 2. hoc perfectum & efficax est, & infinita propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi. 1. Joh. 2. v. 2. Et virtus ejus durat in æternum, in omnibus qui verâ sibi fide illud applicant. Hebr. 10. v. 12. Hoc nullâ iteratione opus habet, sive fiat cruento, seu incruento modo. Quia enim sacrificia V. T. reiteranda fuerunt, liquidò constat, quod imperfecta illa fuerint, & homines à peccatis liberare non potuerint, ut Epistola ad Hebræos luculeter probat, cap. 10. vers. 1. Quod si itaque & Sacrificium Christi reiterandum foret, sequeretur hinc, quod imperfectum idem fuerit, quod cogitatu, nedum dictu blasphemum est.

Præterea sine sanguinis effusione non fit remissio. Hebr. 9. v. 22. qui igitur Sacrificium Missæ hæc virtute polleret, vivorum pariter & mortuorum peccata expiandi?

Sanc

Sanè in tentationibus nullum præstabit solatium. Sed sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7. Qui hoc fretus, vivit & moritur, ita vivit, ut placidè mori possit Joh. 5. v. 24.

2. *Circumgestatio & odoratio*, quæ quotannis in Papatu in Festo Consecrationis exercetur, ubi Hostiam consecratam in capsula inclusam, in magna populi frequentia, quam Processionem vocant, circumgestant, eamque in genua procidentes adorant. Sed nefanda est idololatria, ubi gloriam, quæ Christo soli debetur, creaturæ panis assignant, & sic gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis panis mutant. Rom. 1. v. 23. Non enim Christus eum in finem ordinavit panem, ut circumgestetur, & adoretur, sed ut edatur. Propterea consecratio planè inefficax est, si hunc finem non assequatur, ut panis & vinum edatur & bibatur, juxta Regulam: *Extra usum nihil habet rationem Sacramenti.*

Paulus, utut in tertium cælum raptus, nihil de eâ memorat, 1. Cõr. 11. vers. 23. Præterea planè exploratum est nobis, Idololatriam hanc, ab Urbano IV. demùm, circa annum Christi 1264. in vestam esse. Unde etiam Cassander in Consultatione suâ ad Maximilianum & Ferdmandum Imperatores scripsit: Expedire, ut circumgestatio hæc Sacramenti intermitteretur, quia Christus non ad ostentationem, sed ad usum idem instituerit. Ideoque nos in Ecclesiis nostris unicè verbis Institutionis in hæremus, nec addimus nec detrahimus iis quicquam, certissimi, quod Testatoris nostri ultimam voluntatem impleamus, & verè ejus discipuli simus, Joh. 6. v. 32.

3. *Mutilatio*. Ubi Laici usu calicis privantur, & nudo pane contentos esse oportet. Sicuti in Concilio Constantiensi hoc decretum factum, licet Christus sub utrâque specie sacram cœnam instituerit, hoc tamen non obstante, Laicos unâ specie contentos esse debere. Quem errorem quoque omnes Pontificii in hunc usque diem contra conscientiam stabilitum eunt. Præcipuum, quo errorem hunc suum colorare nituntur hoc est, quod Laici cum corpore Christi, sanguinem ejus simul accipiant, quia nullum verum corpus sine sanguine esse possit. Sed unumquemque, qui Christi discipulus esse vult, institutioni Christi in hære oportet, hæc docet nos, quod Christus primùm panem acceperit, eumque discipulis distribuerit, dicens: Accipite, edite hoc est corpus meum: *ἁρτύρω*: & calicem, & dixerit: Bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus. Ita nos quoque sacrâ cœnâ uti debemus, sub pane benedicto, corpore Christi; & sub vino benedicto, sanguine Christi, sicut Christus ipse instituit, & ordinavit.

Christus non jubet nos sanguinem suum edere: sed corpus suum edere, sanguinem verò bibere. Ab hæc institutione & mandato Christi, nulla nos humana glossa avertere debet. *Aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, eò, quod divisio unius, ejusdemque sacrificii, sine grandi sacrilegio nequeat provenire*, inquit Papa Gelasius.

Præterea Evangelista expressè addit: & biberunt ex illo omnes, Marc. 14. v. 24. nobis in exemplum, ut & nos accepto, & esu pane, omnes ex calice bibere debeamus. Si hoc fecerimus, verbis institutionis conformamus nos, & portæ inferum.

ferum.

rorum non prævalebunt adversus nos. Math. 16. v. 18.

Hominis testamentum confirmatum, nemo abrogat, Gal. 3. v. 15. Atqui Sacra Cœna, Christi testamentum est, quod sanguine & morte suâ confirmavit, iccirco illud non contemnere, eique nihil addere, nihil detrudere debemus, ne auferat Deus partem nostram de libro vitæ. Apoc. 22. v. 19.

II. Alii peccant *in defectu*, sicut Reformati, qui veram essentialem præsentiam corporis & sanguinis Christi inficiantur, & externis Elementis nihil adscribunt, nisi *vim analogicam & representativam*, quibus beneficia Christi præfigurentur, quæ Christus in arâ crucis per fractionem corporis sui 1. Cor. 11. v. 24. & effusionem sanguinis sui acquisiverit, ideo tam vehementer urgent *fractionem panis*, eamque velut essentialem sacra cœnæ partem probatum eunt. Præcipuum eorum fundamentum est, quod Christus verum humanum corpus habeat, quod non possit omnibus locis præsens esse: quoniam itaque Christus cœlum adscenderit, esse & manere eum in cœlo, usque dum die novissimo rediturus sit, ad judicandum vivos & mortuos.

Sed nulla consequentia est. Nudi hominis corpus, juxta naturalem proprietatem, hoc vel illo modo comparatum est, Ergo etiam corpus Christi. Illud corpus, quod in subsistentiâ & cum subsistentiâ Filius Dei indissolubiler unitum est. Joh. 1. v. 14. Illud corpus, in quo tota divinitatis plenitudo habitat corporaliter. Col. 2. v. 3. Illud visum corpus, quod omnem potestatem habet in cœlo, & in terrâ. Matth. 28. 18. Et quidem cum manifestè magno pietatis mysterio. 1. Tim. 3. v. 16. in quod desiderant Angeli prospicere. 1. Pet. 1. v. 12. Christus enim non modò cœlos adscendit, sed

sedet quoque ad dextram Dei, in ejusmodi throno, ubi toti mundo dominatur, non absenter, ut Reges terreni, sed præsender, tam in medio inimicorum, Psalm. 110. v. 2. quàm in medio candelabrorum. Apoc. 1. v. 13. Matth. 18. v. 20.

Nos Lutherani verba institutionis in proprio sensu retinemus, & existimamus, quando Communicanti panis exhibetur, simul quoque ei exhiberi corpus Christi; sicut igitur panem ore edit, sic etiam corpus Christi edit ore, non tamen propterea est oralis naturalis comestio, sed oralis sacramentalis comestio, quæ supernaturali & prorsus divino modo fit, nec ullâ humanâ ratione capi & comprehendere potest. Cum vino pariter res habet.

Esto nobis sacrosancti hujus convivii institutio.

1. *Tanquam signum maxima dilectionis.* Cum Rex David benevolentiam suam erga Mephibosethum claudicantem contulaturus esset, dicebat ad eum: Tu comedes panem in mensâ meâ semper, 2. Sam. 9. v. 8. Hoc Mephiboseth pro tantâ gratiâ reputabat, ut adoraret eum, & diceret: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei v. eod. Sed quid hoc est, respectu amoris beneficentiæ & misericordiæ Cœlestis Davidis, qui nos mensâ cœlesti dignatur, & seipsum nobis comedendum exhibet? Quid est homo, quod agnoscis eum? aut filius hominis, quia reputas eum? Psalm. 144. v. 3. Cum Josephus fratres suos dimitteret, dabat iis, in testimonium amoris cibaria in viâ. Gen. 42. v. 25. Sic Christus, cœlestis ille Josephus, cibaria nobis largitus est, ne deficiamus in viâ: sed in cœlestem patriam feliciter perducamur.

2. *Tanquam pignus intima conjunctionis.*

Quia